

Quaranta, in *Summa Bullarii*. §. *Capitulum sede vacante*. Covarruvias, de *Sponsal.*, part. II, cap. VIII, § 12, n. 1

21. *Item praelati nullius diocesis*. — Insuper jure ordinario iudices in his causis sunt praelati episcopo inferiores, nulli tamen episcopo subjecti, et jurisdictionem quasi episcopalem in certo territorio exercentes. Barbosa, loc. cit., n. 3; Riccius, in *Decis. Cur. Archiepisc. Neapolit. Decis.* 184. Rota apud Mant. *Decis.* 101, n. 7; Ratio est; quia, dum concilium aliis inferioribus episcopo hanc jurisdictionem denegat, intelligit illos inferiores, qui certe diocesis episcopo in certis saltem causis subjecti existunt.

22. *Et ex commissione episcopi, vel alterius ordinarii etiam inferiores alii*. — Resp. III. Ex commissione, et privilegio etiam alii episcopo inferiores praelati, in causis matrimonialibus iudices esse possunt. Communis ac certa. Patetque communi Ecclesiae praxi; quia videmus, quod alicubi archidiaconis, alicubi aliis praelatis, seu personis ecclesiasticis ex delegatione seu commissione, vel etiam ex privilegio competat jurisdictio cognoscendi, et judicandi causas matrimoniales.

23. *Vel consuetudine aut privilegio*. — Pariter potest eadem jurisdictio per ecclesiasticos inferiores consuetudini acquiri. Barbosa, loc. cit., n. 5; allegans declarationem cardinalium. Ratio patet; quia ea, quae non sunt ordinis, sed tantum jurisdictionis episcopalis, privilegio acquiri valent, juxta communem doctrinam alibi traditam.

24. *Judex saecularis nec incidenter agnoscere potest judex ecclesiasticus*. — Resp. IV. Judex saecularis incapax est cognoscendi de causa matrimoniali, non tantum si principaliter movetur de ea quaestione, puta de matrimonii valore, divortio, dissolutione, ejus impedimenti, etc., sed etiam quando incidenter de eadem est controversia: ut si principaliter movetur quaestio de dote, de hereditate, de donatione propter nuptias, de adulterio, etc. (de quibus judex saecularis cognoscere utique potest) et incidenter quaeritur de valore matrimonii, v. g. uno ex litigantibus illum impugnante, Covarruvias, de *Sponsal.*, p. 2, cap. VIII, § 12, n. 1; Barbosa, *Allegat.*, 84, n. 16 et seqq. ubi hanc conclusionem exacte discutit. Ratio patet; quia judex laicus incapax est judicandi causas spirituales, quocumque tandem modo in quaestione veniant, c. II, de *Judiciis*, ut amplius dictum est lib. II, tit. I, § 2.

25. *Bene tamen incidenter de causa laicali judicare potest judex ecclesiasticus*. — Contra bene potest judex ecclesiasticus quaestione de causa matrimoniali principaliter mota, incidentes quaestiones, alias ad iudicem saecularem pertinentes, v. g. de hereditate, de dote, de alimentis, etc., cognoscere. Barbosa, loc. cit., n. 18 et 19; Gutierrez, pract. q., lib. I, q. 44, a n. 6, cum communi, patetque clare ex c. I. *Qui filii sint legitimi*, c. *De prudentia*, 3, c. *Nuper*, 6, et c. *Per vestras*, 7, de *Donat. inter virum et mulierem*. Ratio patet; quia judex ecclesiasticus ex se non est incapax cognoscendi causas temporales, uti judex laicus incapax est cognoscere spirituales.

26. *De probatione et testibus requisitis ad probandam nullitatem matrimonii. Remissive*. — Quaeritur quomodo probari debeat, et quot testes requirantur ad hoc, ut matrimonium declaretur nullum, et dissolvatur quoad vinculum? Resp. Ad hanc quaestionem patere, tit. seqq., § 1, q. 4.

TITULUS XIX.

De divortiis.

1. *Ratio continuationis*. — Quandoquidem accusationem in causa matrimoniali sequitur divortium, recto ordine, praecedenti titulo *Qui matrimonium accusare possint*, sequitur praesens de *Divortiis*: quia vero fieri potest divortium tam quoad vinculum, quam quoad solam cohabitationem et thorum, hinc de utroque hic agemus.

§ I.

DE DIVORTIO, SEU DISSOLUTIONE MATRIMONII TAM CONSUMMATI, QUAM RATI QUOAD VINCULUM.

2. *Fidelium matrimonium ratum solvitur professione religiosa*. — Quaeritur I. An, et quot modis quoad vinculum fieri possit divortium, et solutio matrimonii fidelium rati, non consummati? Resp. I. Vere, ac legitime contractum fidelium matrimonium ratum solvitur quoad vinculum professione religiosa. Est certa atque de fide, textu claro, c. *Verum*, et c. *Ex publico*, de *Convers. con-*

jug. et concil. Trident., sess. 24, can. 6, ibi: « Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem, alterius conjugum, non dirimi, anathema sit. » Hinc cuivis conjugum post contractum jam matrimonium conceditur bimestre ad deliberandum, an consummare matrimonium, vel religionem ingredi velit, cit. c. *Ex publico*, 7, de *Convers. conjug.* De quo amplius vide lib. III, tit. XXXII.

3. *Non item dispensatione pontificia*. — Resp. II. Quamvis gravissima inter doctores sit controversia, an etiam dispensatione pontificia solvi quoad vinculum possit fidelium matrimonium ratum, non consummatum, tamen sententia negans, spectando jura et rationes, probabilior apparet, eamque tuentur gravissimi doctores ut divus Bonaventura, in 4, dist. 27, q. 2 et 3; Scotus, in 4, dist. 31, q. 1; Pontius, lib. IX, cap. III, n. 3, dicens, hanc sententiam tenere fere omnes theologos. Soto, in 4, dist. 27, q. 1, a 4, ubi ait, « contrariam sententiam nec probabilitatis umbram habere, » Gutierrez, can. *Quaest.* lib. I, cap. XVII, a n. 12. Alexand. de Nevo in c. *Duas de sponsa duorum*, num. 14; Petrus Ledesma, de *Matrim.*, a 1, dub. 1, dicens contrariam sententiam esse improbabilem, Palao, de *Sponsal.*, disp. 3, pun. 2, § 2, n. 3 et alii, contra Sanchez, lib. II, disp. 14, n. 2; Anchoran. in c. *Ex publico*, de *Convers. conjug.* nu. 9, et ibi Abbatem, n. 14, atque canonistas communiter.

4. *Probatur ex jure*. — Probatur conclusio tam ex jure; quam ratione. Ex jure quidem can. HI, qui. 25, caus. 32, q. 7, etc. « Ex parte 14. de *Convers. conjug.* ubi habetur, quod, ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de praesenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, nisi per professionem religiosam: » ubi etiam clare innuitur, quod absque revelatione divina dissolutionem matrimonii rati concedente, nulla de causa quoad vinculum solvi possit matrimonium ratum, juncto c. *Licet*, 3, de *Sponsa duorum*.

5. *Probatur ratione; quia est jure divino insolubile*. — Ratione autem; quia matrimonium etiam ratum jure divino est indissolubile; in jure divino autem nequit Papa dispensare juxta dicta lib. I, tit. II, § 18, n. 455; Anteced. probatur ex illo Matth. 19, cap. VI: « Quod Deus conjunxit, homo non sepa-

ret, » et c. un. de *Voto*. in 6. ubi Papa de matrimonio rato loquens, expresse dicit: « Quod matrimonii vinculum ab ipso ecclesiae capite, rerum, omnium conditore, ipsum in paradiso, et statu innocentiae instituere, unionem et indissolubilitatem acceperit. » Concordat concilium Tridentinum, sess. 24, ubi de matrimonio indistincte loquens statim a principio sic ait: « Matrimonium perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divino spiritus instinctu pronuntiavit; cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, quam ob rem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suae. »

Nec dicas, hos textus loqui de matrimonio consummato. Resp. enim, hoc gratis dici; cum omnes textus generaliter ac indistincte loquantur, consequenter indistincte veniant intelligendi, arg. c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.* et l. de *Pretio*, ff. de *Public. in Rem.* act. Accedit, quod adversarii ipsi fateantur, et ex his textibus probent matrimonium ratum jure divino esse insolubile. Confirmatur ex ipsa matrimonii definitione ita sonante: matrimonium est legitima conjunctio maris et foeminae individuum vitae consuetudinem retinens, c. *Illud de Praesum.* Accedit adhuc quod etiam plerique doctores sententiae hujus negativae adversarii ipsi fateantur, matrimonium etiam ratum esse de jure divino indissolubile.

6. *Solvitur adversariorum prima objectio de potestate Papae concessa a Deo*. — Objiciunt adversarii I. Principale fundamentum: Ex eo, quod Deus dedit Papae tanquam suo in terris vicario potestatem dispensandi etiam in iis, quae sunt juris divini, quando id exigit bonum publicum, aut commune Ecclesiae, vel animarum, videtur quoque concessisse potestatem dispensandi id matrimonio rato, nondum consummato, casu quo id exigat bonum Ecclesiae, aut animarum salus, juxta illud Matth. XVI, §. 18 et 19, ubi Christus Petro, et successoribus amplissimam facultatem tribuens dixit: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, etc. Quodcumque solveris super terram, erit solutum, et in caelis. » Ex quo fundamento Papa etiam in votis jure divino litigantibus dispensat. Resp. Hoc argumentum probare nimium, videlicet, quod Papa etiam in matrimonio consummato dispensare valeret; cum aequè imò magis et saepius pro bono communi Ecclesiae, et animarum salute servier,

si dispensaretur in matrimonio consummato, quam rato; ut consideranti patet: Ergo si ob bonum Ecclesiae, et animarum salutem non potest dispensare in matrimonio consummato, neque potest in rato, cum hoc non minus ac illud sit de jure divino indissolubile, fatentibus ipsis adversariis.

7. *Solvitur secunda petita ex unione Christi cum Ecclesia et anima.* — Nec dicas, matrimonium consummatum ideo dissolvi non posse dispensatione papali, quia significat indissolubilem Christi unionem cum Ecclesia; ratum vero solummodo unionem Christi cum anima per gratiam c. *Debitum, de Bigam.* quæ, quia sæpe in anima solvitur, etiam matrimonium ratum solvi poterit. Nam contra est primo, quod multi teneant, non solum matrimonium consummatum, sed etiam ratum significare unionem Christi cum Ecclesia, præsertim, cum Paulus 5. ad Ephes. illam unionem indicans in matrimonio indistincte fuerit locutus illis verbis: « Hoc sacramentum magnum est; ego autem dico vobis, in Christo, et in Ecclesia, etc. »

Contra est secundo, quod, etsi dato non concesso solum matrimonium consummatum significaret illam unionem Christi cum Ecclesia, tamen ex ipso non probaretur, illud ita esse indissolubile, quin dispensatione papali a Deo ob bonum commune Ecclesiae concessa, dissolvi posset; cum etiam juxta plures adversarios matrimonium consummatum infidelium, et fidelium antiquæ legis jam prænotari dictam unionem, et tamen fuerit solubile. Contra est tertio, quod dissolubilitas matrimonii non habeat suam efficaciam ex illa unione, sed ex ipsa natura sua ac institutione Christi, prout late probat Pontius, lib. I, cap. XIII, patetque ex textibus supra n. 5. allegatis.

8. *Solvitur tertia petita ex facto pontificum.* Pontificum quoque opiniones privatæ revocatae sunt. — Objicies II. Plures pontifices dispensatione sua dissolverunt matrimonium ratum, ut constat de Martino V, Eugenio IV, Paulo III, Pio IV et Gregorio XIII, qui ultimus teste Sanchez, lib. II, disp. 4, uno die quatuordecim matrimonia rata dispensando dissolvit quoad vinculum; atqui temerarium est, dicere, tot et tantos pontifices in puncto tam gravi errasse, et nulliter egisse; ergo Resp. I. His summis pontificibus opponi posse pontifices alios, contrarium sentientes, et practicantes, atque absolute dicen-

tes, neque in matrimonio rato Papam dispensare posse absque revelatione divina juxta dicta supra n. 4. Resp. II. Præfatos pontifices secutos fuisse sententiam probabilem adversariorum: per quod nondum probatur, nostram sententiam non esse probabiliorē; præsertim cum etiam opiniones et praxes ipsorum pontificum a successoribus nonnunquam revocatae fuerint tanquam minus rectæ, ut constat ex c. *Licet, 3. de Sponsa duorum*, ubi Innocentius III, statuit, matrimonium ratum non solvi per subsequens matrimonium etiam « consummatum quanquam (ut inquit) aliter a quibusdam antecessoribus nostris sit aliquando judicatum. »

9. *Fidelium matrimonium consummatum, nulla ratione solvi potest quoad vinculum.* — Quæritur II. An etiam fidelium matrimonii consummati fieri quandoque possit divortium seu dissolutio quoad vinculum? Resp. nulla ratione, nec etiam dispensatione pontificia quoad vinculum dissolvi potest matrimonium consummatum fidelium. Est unanimitas catholicorum contra hæreticos volentes, etiam hoc matrimonium quoad vinculum solvi posse propter unius adulterium, aut discussum a vera religione. Ratio conclusionis est, quia consummatum matrimonium jure divino est indissolubile; consequenter illud nullus præter Deum quoad vinculum dissolvere potest; præsertim quia nec ex traditione, nec ex revelatione aliqua nec ex usu Ecclesiae constat, Deum pontifici dedisse potestatem dispensandi in hoc jure divino.

10. *Quia est de jure divino.* — Quod autem jure divino sit indissolubile, probatur. Tam ex textibus num. 5, allegatis, qui si non etiam de rato, saltem de consummato matrimonio intelligi debent. Quibus accedit illud Pauli ad Rom. 7: « Mulier vivente viro alligata est legi. » Et 1 Corinth. 7: « His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. » Concordat concilium Tridentinum, sess. 24, can. 5, ibi: « Si quis dixerit propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. » Et can. 7: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta evangelicam, et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse

dissolvi, etc. Anathema sit. » Qui textus saltem de matrimonio consummato intelligi debent; quamvis etiam de matrimonio rato merito applicari valeant, per dicta a num. 3.

11. *Et significat unionem Christi cum Ecclesia, et Verbi cum carne.* — Aliam rationem conclusionis communiter etiam allegant illam, quod matrimonium consummatum significet mirabilem, ac indissolubilem illam unionem Christi cum Ecclesia, c. *Debitum, 5, de Bigam.* ac etiam unionem hypostaticam Verbi D. cum natura humana. Verum exinde suam indissolubilitatem matrimonium consummatum non desumere, cum Pontio jam dictum est supra n. 7.

12. *Solvitur objectio hæreticorum.* — Objicies cum hæreticis illud Matth. 19. « Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: » ergo; quia exceptio firmat regulam in contrarium, arg. 1. *In iis, quæ. ff. de Legib.* licitum est ob fornicationem dimittere uxorem, et aliam ducere. Resp. negando consequentiam; quia ibi ly nisi ob fornicationem refertur solummodo ad prius, non ad posterius, ut duplex sensus sit: primus: Quicumque uxorem dimiserit (quoad thorum nempe, seu cohabitationem juxta dicenda infra) quæ non est rea fornicationis, mœchatur, seu facit eam mœchari, ut dicitur Matth. 5, v. 31 et 32, id est, injuste præbet eidem occasionem mœchandi, si vero ob fornicationem seu adulterium eam dimittit quoad thorum, non mœchatur, seu non facit eam mœchari, cum non injuste, sed juste eam dimittat. Alter sensus est, et quidem absolutus; quicumque uxorem dimiserit, et aliam duxerit rupto priori vinculo, Ipsemet adulteratur, nulla causa ab hoc excusante. Concordat textus Matth. v, v. 31 et 32, ibi: « Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa facit eam mœchari: Et qui dimissam duxerit, adulteratur: ubi rursum, ut vides, excepta fornicationis causa refertur ad prius ad dimissionem nempe; non item ad posterius videlicet, qui dimissam duxerit. » Accedit perpetua traditio Ecclesiae, hos textus in allegato sensu intelligentis. Et merito; secus enim certe latu porta aperiretur adulteriis, utpote quibus mediantibus conjuges alias male cohabitantes, et separationem anhelantes, facile separari, aliisque pro libitu nubere possent. Plura de hoc controversistæ.

13. *De solutione matrimonii infidelium, et*

hæreticorum quoad vinculum. — Quæritur III. An? et quando quoad vinculum solvi queat matrimonium infidelium et hæreticorum? Resp. Ad hoc quæsitum jam patere supra de matrimonio infidelium quidem lib. III, tit. XXXIII. De matrimonio hæreticorum vero, hoc libro tit. I, a n. 357, et tit. III, *de Matrimon. clandest.* § 3.

14. *Conjuges etiam certi de nullitate matrimonii, non possunt propria auctoritate discedere ab invicem in foro externo.* — Quæritur IV. Quid requiratur, et qualis adesse debeat probatio ad hoc, ut dissolvatur quoad vinculum matrimonium sive ratum, sive consummatum, cum impedimento dirimente contractum? Resp. I. Ad dissolutionem, seu divortium matrimonii quoad vinculum requiritur imprimis auctoritas legitimi judicis, ita ut privata conjugum auctoritate dissolvi, aut unus alterum dimittere nequeat; etiamsi certi sint de impedimento dirimente, idque notorium existat. Communis ac certa textu claro c. *Porro, 3, h. t.* ubi Papa sub excommunicatione comitem Pontinum adigit, ut uxorem, quam ob notoriam consanguinitatem dimisit, iterum recipiat, ex eo, « quod si etiam parentela publica esset et notoria, absque judicio Ecclesiae ab eo separari non potuit: quare ipsum ad eam recipiendam districtè compellat; quam si recipere noluerit, eum et supra dictam (aliam nempe uxorem) vinculo excommunicationis adstringas. »

15. *Si una pars discedit propria auctoritate debet alteri petenti iterum restitui, nisi discedens in continenti probare possit, vel velit nullitatem.* — Resp. II. Si una pars conjugum ob prætersam nullitatem matrimonii propria auctoritate discedit, tenetur judex ante omnia illam per juris media, etiam censuras compellere, ut redeat ad conjugem; nisi de impedimento dirimente, consequenter etiam de nullitate matrimonii notorie constet, aut pars discedens habeat probationes in continenti paratas. Ita expresse statuitur c. *Per litteras, 13, de Restit. spoliat.* ubi etiam additur, quod, si pars discedens probationes quidem pro se in continenti non habeat, sed ad eas faciendas indigeat dilatione longiori aut mora, ante omnia restituenda sit conjugi, a quo propria auctoritate discessit. Ratio subjungitur; « quia præsumitur contra eam, quæ sine judicio Ecclesiae sua tantum temeritate recessit: » quæ pro foro externo intellige; quid enim in foro interno

facere possit conjux conscius impedimentum? dicitur infra a n. 22.

16. *Neque potest, aut debet iudex conjugibus facile credere, nisi sufficiens probatio adsit.* — Resp. III. Non debet, nec potest iudex matrimonium in facie Ecclesie contractum dissolvere quoad vinculum; ex hoc solo, quod unus vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniæ lateantur, se cum impedimento criminis v. g. vel affinitatis, aut consanguinitatis contraxisse, nisi sufficientes probationes accedant. Rursus communis ac certa, textu expresso c. *Super eo*, 5, de *Eo, qui cognovit*, ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: « Cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere, et ad confessionem incestus (aut alterius impedimenti) facile prosilirent si suo iudicio crederent, per iudicium Ecclesie concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeo est iudicandus validus, quod, nisi rationabiles, et fide dignæ probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari. »

17. *Et quidem plena.* — Resp. IV. Ad hoc, ut iudex ecclesiasticus vinculum matrimonii dissolvat, debet eidem de impedimento dirimente constare per probationem plenam et perfectam; qualis est, quæ fit per duos testes omnium exceptione majores. Iterum communis ac certa, arg. c. 1, de *Consang. et affinitat.* et c. *Super eo*, 22, de *Testibus cum concordant.* Ratio est, quia causa dissolvendi matrimonium quoad vinculum est una ex gravioribus, et in præjudicium magnum tum tertii, tum sacramenti redundantibus, consequenter exigit plenam probationem, per ea, quæ diximus lib. II, tit. XIX, de *Probat.* ubi etiam habes, quænam sint, et dicantur probationes plenæ.

18. *Per testes juratos omni exceptione majores.* — Quod, si probatio fiat per testes, debet fieri per testes saltem duos omni exceptione majores, arg. cit. c. 1, de *Consang. et affinitat.* ibi: « Per testes omni exceptione majores. » Ratio est, quia unus testis quantumvis habilis non facit plenam probationem, arg. c. *Licet universis. de Testib.* qui etiam debent esse jurati, arg. can. *Illud*, 6, et can. de *Parentela*, 8, caus. 35, q. 6, quia testis non juratus nihil probat, per vulgaria.

Porro quinam sint testes habiles contra matrimonium jam contractum, constat tum generaliter ex lib. II, tit. XX, de *Testib.* Tum specialiter ex tit. præced. ubi etiam

habes, quisnam sit iudex in causa matrimoniali.

19. *Si notorie constet de nullitate matrimonii, debet iudex etiam nemine accusante illud dissolvere.* — Resp. V. Etsi nemo matrimonium accuset, potest nihilominus, et debet illud iudex ecclesiasticus etiam quoad vinculum dissolvere, quando de ejus nullitate, seu impedimento firmiter notorie et certe constat. Abbas, in c. *Porro*, 3, h. t. n. 4, et ibi doctores communiter: textus est in cit. c. 3, h. t. ubi Papa ita respondet episcopo Ambianensi, « quod non apparentibus accusatoribus, et parentela manifesta et publica existente (idem dic de alio impedimento) tui officii interest, matrimonia illa, adhibita gravitate dissolvere. »

20. *Vel de nullitate inquirere, quando non notorie de ea constat, sed fama est.* — Imo etsi notorie de impedimento non constet, existat tamen fama de illo, potest iudex ecclesiasticus ex officio inquirere, et quemcunque compellere, ut testimonium de illo deponat. Abbas, loc. cit. n. 4, et ibidem Glossa communiter recepta *¶. Seu publica*, arg. c. 1, de *Offic. ordinar.* juncto can. *Episcopus, in Synodo*, 7, caus. 35, q. 6.

21. *In dubio, an matrimonium valeat, necne, iudex pronuntiare debet pro matrimonio.* — Resp. VI. Quocumque sive præcedente accusatione, sive facta inquisitione, sive ex alio capite, de matrimonio jam contracto apud iudicem fit quæstio aut controversia, debet iudex in foro externo pro valore matrimonii pronuntiare, si causa rite examinata, non habetur plena probatio, sed dubium manet, an revera subsit aliquod impedimentum, consequenter an matrimonium valeat, necne. Rursus communis, arg. c. *Super eo*, 22, de *Testib. et attestat.* cum concordantiis, et sequitur necessario ex conclusione n. 17, data, ubi dictum est, ad dissolvendum vinculum matrimonii requiri plenam probationem; per jura et rationes ibidem allegatas. Quibus accedit; quia matrimonium jam contractum est res favorabilis, c. *Directe*, 3, *Qui Matrim. accusare possint.* Hinc licet ad impediendum matrimonium sufficiat unus testis, fama, aut dubium de impedimento, juxta unanimem, non tamen sufficit pro vinculo dissolvendo, ut bene advertit Glossa communiter recepta in cit. c. *Super eo. de Testib. et attestat. ¶. Firmatum.*

22. *Certo sciens conjux matrimonium esse*

nullum, ob latens impedimentum nec petere, nec reddere potest debitum, etsi episcopus id jubeat. — Quæritur V. Quid faciendum conjugibus, si contracto jam matrimonio cognoscunt, illud esse nulliter contractum ob versans inter illos impedimentum dirimens? Resp. I. Conjux, qui certo scit, matrimonium esse nullum, nec reddere, nec petere potest debitum conjugale: etiamsi impedimentum probare nequeat, et propterea forsitan a iudice ecclesiastico per censuras compellatur ad reddendum debitum. Unanimis et certa, textu expresso c. *Inquisitioni tuæ*.

24. *de Sentent. excommun.* ibi: « Debet potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnalem copulam, peccatum operari mortale. » Concordat c. *Litteras*, 13, de *Restit. spoliat.* ubi etiam ratio habetur: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; et quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. »

23. *Imo tenetur etiam contra mandatum iudicis discedere propria auctoritate, si absque periculo incontinentiæ, et peccati alteri cohabitare nequeat.* — Resp. II. Quamvis unus vel ambo conjuges certam notitiam impedimenti habentes, matrimonio jam contracto ab invicem propria auctoritate discedere nequeant, sed pro foro externo indigeant auctoritate iudicis juxta dicta n. 14. Nihilominus si impedimentum ita est constitutum, ut illud plene probare non possint, vel ob diffamationem sui non audeant: possunt, imo tenentur in foro conscientie ab invicem discedere, si absque periculo incontinentiæ ut frater et soror simul cohabitare nequeant. Neque tenentur in foro interno obedire episcopo, contrarium etiam sub censura præcipienti. Rursus communis per jura citata, præsertim c. *Litteras de Restit. spoliat.* ubi dicitur, quod, si in tali casu episcopus discedenti a conjuge sub censura imperat, ut redeat, ita discedens debeat negando thori consortium censuram humiliter tolerare. Ratio est, quæ in priori conclusione; quia nempe contra propriam conscientiam agere nemo potest, arg. cit. c. *Litteras*.

24. *Limitatur in casu, quando Papa, vel episcopus dispensare potest, et solet.* — Limitatur tamen conclusio casu, quo tale inter conjuges versatur impedimentum, in quo Papa, vel episcopus potest, et solet dispensare; tunc enim quamvis matrimonium utpote nullum dissolvere valerent, si vellent,

tamen non tenerentur, sed possunt procurare dispensationem. Imo hanc procurare nonnunquam tenerentur; ut si bonum prolium ex simili matrimonio progenitarum, aut alia gravis causa id exigeret. Quibusnam autem in impedimentis Papa, vel episcopus dispensare possint, et solet: item quo modo dispensationes hujusmodi obtineri valeant, ac quo modo interea conjuges se habere, atque obtenta dispensatione matrimonium revalidare debeant, practice dicemus infra post titulum ultimum in appendice hujus IV, *Libri Decretalium*.

25. *De infidelium et hæreticorum matrimonii dissolutione. Remissive.* — De solutione matrimonii infidelium, et hæreticorum? vide supra n. 13. (ADNOTATIO XCVI.)

§ II.

DE DIVORTIO, SEU DISSOLUTIONE MATRIMONII, QUOAD THORUM ET COHABITATIONEM, ET CAUSIS EJUSDEM.

26. *Divortium quoad thorum, et cohabitationem quid?* — Quæritur I. Quid sit divortium quoad cohabitationem, et thorum? Quomodo item? et ob quas causas fieri valeat? Resp. I. Divortium quoad cohabitationem et thorum est legitima viri et uxoris separatio, manente vinculo matrimonii valide contracti. Ita in re communis, arg. *Tota hac rubrica*, et l. 104, § 1, ff. de *Verb. signif.* Dicitur legitima, id est juxta leges, et canones; secus enim divortium nec licitum, nec validum foret; cum matrimonium individuam vitæ societatem secum trahat. Dicitur manente vinculo matrimonii, ad differentiam divortii quoad vinculum, de quo § præced.

Hoc divortium fieri potest, vel quoad solum thorum, id est, quoad debitum conjugale alteri licite denegandum, vel quoad thorum, et cohabitationem simul, ita ut conjuges non tantum ab obligatione reddendi debitum, sed etiam habitandi in eadem domo, mensa, et lecto immunes fiant.

27. *Potest fieri vel mutuo consensu conjugum.* — Utrumque hoc divortium ulterius fieri potest vel mutuo consensu conjugum, vel etiam altero invito. Mutuo consensu fit, quando ambo intrant religionem, aut vir assumit statum clericalem, juxta dicta lib. III, tit. XXXII, de *Convers. conjug.* Item quando amore castitatis, aut ex alia ratione